

## I. Pars pharmacognostica.

### Denominationes.

**R**adix Ipecacuanhae seu Hipecacuanhae — Gallis: Beconquille, Mine d'or — Italis: Ipecauana — Anglis: Ipecacoan — Germanis: Rührwurzel, Speywurzel, echte Brechwurzel, Goldergzwurzel.

### Brevis Ipecacuanhae historia.

Haec radix una cum cortice Peruviano, circa medium nempe saeculi decimi septimi Europam pervenit; ejus tamen usus nequaquam tam brevi tempore ubique inclaruit, aditumque invenit tam facilem, quam ille corticis Peruviani, qui sub remedii febrifugi nomine late divulgatus, omnium medicorum attentionem in se convertit, Ipecacuanha diutius incognita manente, tantumque hinc inde adhibita.

Inter ceteros Margraff primus fuit, qui circa medium saeculi decimi septimi anno 1649 Ipecacuanham ex Brasilia in Europam introduxit. Piso inter primos referri meretur, qui de rad. Ipecacuanhae optime meriti sunt, quippe qui de ejus efficacia pericula instituens, de ejus usu qua praestantissimo remedio antidyserterico, notitias quasdam communicavit; magnum tamen temporis spatium requirebatur,

donec in praxin medicam frequentius adhibetur. Insequebatur eum Galliae medicus Le Gras, qui magnam radicis quantitatem ex America Parisios transportavit, inque causa fuit, ut in Pharmacopoliū susciperetur, remedio tamen adhuc pro viribus suis et pro indicationibus therapeuticis vago, incertoque manente.

Mercator Parisinus Grenier anno circiter 1690 magnam hujus radicis copiam possidens, turpis lucri causa, medico Adriano Helvetio sese adjunxit, magno pretio hunc sollicitans, ut hoc remedium qua arcanum magnis laudibus celebraret, adhiberetve; et revera, quod prius sincerae medicorum industriae, castisque votis non contigit, adsecuta est ars jactatoria. Helvetii enim encomiis hoc remedium brevi tempore tantum obtinuit pretium, ut exigua ejus dosis undecim florenis venderetur, Helvetius imo in nosocomio publico, Hôtel de Dieu dicto, arcani sui usum faciens, a rege Ludovico XIV. magno pecuniae munere, commerciique privilegio donaretur. Sed quum insatiabili habendi cupidine ductus, socii oblitus hujus commercii commoda, fructusque sibi solum adrogare studuisset, Grenier hac de re indignatus, arcanum suum aliis quoque communicavit, quo facto paulo post vera remedii natura omnibus innotuit.

In Hollandia a Friderico Decker Ipecacuanha magnis laudibus celebrata, anno 1694 in usum trahebatur, et in Germania per Leibnizium primo, deinde per J. Wedel remedii hujus notio, ususque magis magisque semper pervulgabantur.

Tantorum virorum exemplis propriisque de ejus virtute experimentis resistere amplius non valens, cetera medicorum cohors saepe saepius Ipecacuanhae auxilium petiit, quae pathologis tandem humoralibus eum in modum arrisit, ut in medendi methodo antigastrica eam omnium remediorum principem agnoscerent.

### Descriptio botanica.

Accuratam nunc, et in quantum fieri potest, perfectam Ipecacuanhae descriptionem botanicam ceteris anteponendam esse censemus, cum non solum plantae nomen aut partes, quae in medicaminum thesaurum receptae sunt bene noscere, aut earum dosin in formula quadam exprimere sufficiat, imo et plantae habitus naturalis, locus natalis, plantae denique in variis suis speciebus varietas non minoris medico sint utilitatis, ita ut neglecta plantarum cognitio atque descriptio non exiguum jam in illis, quae e vegetabilium desumuntur regno, corporibus medicatis induxit confusionem, quae errores in seligendo, permutationes in adplicando, detrimenta in sanando procreavit. Sic et Ipecacuanhae radices per centum et plures annos ex Americae regionibus diversis, e Mexico, Peruvia, Brasilia Europam advectae medicisque medicamen largitae sunt in morbis gravissimis, quin plantarum genus aut species, quibus originem debuerunt, innotescerent, et usque nunc inter botanicos et medicos magna lis est et incertitudo de plantis, salubrem hanc radicem ministrantibus.

Variae Ipecacuanhae radices et tres potissimum species, fusca nempe, cinerea et alba nobis prostant, plantis radices has largientibus nondum abunde cognitis, ut ut in variis locis sub variis denominationibue, aut sub communi Ipecacuanhae adhibitis.

Scientiae botanicae pater Linnaeus primus fuit qui plantam radicem nobis largientem, sub nomine Violae Ipecacuanhae descriptsit, postea autem Ipecacuanhae, verisimiliter fuscae nomen systematicum Psychotriae emeticae addidit. Alii auctores vario modo designant plantas, de quibus Ipecacuanha desumeretur, sic Mellin: Loniceram Ipecacuanham; Aublet: Boerhaviam diandram; Allamand: Violam diandram; Brotero: Callicoccum Ipecacuanham; Persoon: Cephaëlin emeticam. A variis plantarum speciebus petitae, varia natura distinctae, vix omnes ejusdem indolis medicamentum praebent, ad quarum igitur differentias attendere, summae pro medico necessitatis.

Omnibus hisce collatis comparatisque tres praecipue plantas, a quibus radices desumuntur dari sat certe evictum est, quaeque nobis radicem Ipecacuanhac fuscam, cinereum et albam largiuntur.

### I. Radix Ipecacuanhae fuscae vel etiam Brasilensis.

Haec radix originem dicit, secundum Broterum a Callicocca Ipecacuanha, secundum Persoon a Cephaëli emetica.

Secundum Martium hujus radicis mater est:

Cephaëlis Ipecacuanha.

Brechenerregende Kopfbeere, echte Brechwurzel, Brechwurzelkopfblume (Pentandria, Monog. Linn. Rubiaceae, Jussieu.)

Character generis. Involucrum bipartitum, calyx minimus quinquedentatus, corolla infundibuliformis, quinquefida. Antherae quinque, subsessiles, inclusae. Bacca ovala.

Character speciei. Caulis ascendens, non-numquam declinans, subterraneus nodosus, crassitiem pennae anserinae referens, teres; aut simplex aut ramulis obsitus, epidermide obtectus laevigata, crassiuscula, in parte subterranea fusca, reliqua glabra, foliis destituta, coloris cinereo-albescens, viridescentis. Folia 4—6, rarius plura, opposita, petiolata obovata, acuta, ad basin alternantia, margine integerrima, obscure viridia, infra pallidiora.

Petioli semiteretes, semiunguiculares, aliquantulum canaliculati. Stipulae erectae, adpressae, fissae, deciduae. Pedunculi axillares, teretes, solitarii, floriferi, fructiferi, refracti.

Flores 8—12 in capitulum involucratum, semiglobosum uniti, singuli bracteati.

Calyx minutus, obovatus, albescens, pubescens, dentatus. Corolla infundibuliformis, alba. Stamina quinque. Filamenta filiformia, alba, glabra, Antherae lineares. Ovarium ca-

lyce inclusum, ovatum, apice disco instructum. Stylus filiformis, longitudine corollam aequans, coloris albescens. Stigmata duo, linearia obtusa patentia.

Bacca ovata, obtusa, initio purpurei, deinde violacei coloris, carnosa, mollis, bilocularis, nucleus duas glabras includens, bilocularis, calyce parvo instructa.

Planta haec frequentissime ad Rio de Janeiro, locis umbrosis, silvisque humidis crescit, unde et Brasiliensis nomen sibi contraxit Radix ipsa perennis, per integrum annum colligenda, solis radiis exposita siccatur, subsequisque notis a ceteris differt: a calamo stramineo ad scriptorium crassa, geniculata diversimode contorta et curvata, annulis prominentibus et incisuris interstincta. Constat epidermide obscure fusca vel et nigricante, qua separata cortex interior ex albo flavescens, solidus, fracturae aliquomodo splendidae apparet, qui partem internam ligneam, tenacem a cortice facile separandam, coloris albo flavescentis tegit. Radix praecipue pulverisata, odorem habet ingratum, nauseosum, saporem amaricantem, et quidem cortex resinosum magis, subacrem, faucibus adhaerentem, pars autem interior mucosum.

II. Altera species est radix Ipecacuanhae striatae seu griseae, seu Peruviana, quae a Psychotria emetica, brechenerregende Psychotria (Pent. Monog. Linn.) derivatur. Planta haec in America meridionali, in Mexico et Peruvia crescit, ubi praesertim in proximis au-

rifodinarum invenitur, ideoque Mine d'or vegetal (Goldaderwurzel) nominatur.

Willdenow exemplarium plantae aqua haec radix venit describit: caule volubili, pubescente, foliis cordato - ovatis, subtus pubescentibus, umbellis simplicibus, paucifloris, villosis.

Radices refert ejusdem ac prior magnitudinis, epidermide secundum longitudinem striata, coloris externi aut nigrescentis aut rubescens; in omnibus operibus pharmacologicis sub eodem cum priori titulo, tamquam *Psychotria Ipecacuanha* descripta fuit, sola nunc rarius occurrit, sed ceteris speciebus admixta a mercatoribus venditur.

Quoad effectum a priori parum differt, nisi quod minorem principii emetici contineat copiam.

III. Tertia species est radix *Ipecacuanhae albae*, cuius mater *Viola Ipecacuanha* (Pent. Monog. Linn.) seu *Jonidium Ipecacuanha*, *Pombalia Itubu*, planta in regni Peruviani, Brasiliae et regionis Cayennae pratis ubique crescens habetur.

Radicem refert *Saponariae* radici similem, contortam, annulis prominentibus et incisuris rarius praeditam, nec geniculatam; externe colorum habet albescensem vel subflavum, interne partem ligneam magis albescensem includit; odoris est nullius, saporis subacris absque omni amaritudine. Materiam continet peculiarem, vi emetica donatam, quam *Violinam* neoterici appellant.

Praeter has principales Ipecacuanhae species occurrit etiam Ipecacuanha undulata seu farinosa seu amyacea, a Richardsonia seu Richardsonia scabra (Hexand. Monog. Linn. Rubiaceae, Juss.) planta Brasiliensi derivata, annulorum prominentium defectu, incisuris rarioribus, fragilitate majore insignis. Coloris est ex cinereo fusci, odoris debilioris, saporis leviter acris, non amari. Ob minimam quam continet principii emeticici copiam, rarissima inter celestas occurrit.

Sunt plantae, quae aliquibus Ipecacuanhae dotibus praeditae, haud raro cum illa confunduntur. Hisce ad numerari merentur: Apocyni, plantae Jamaicam patriam agnoscentis radix, tam colore rubro partis interioris ligneae, quam in aegri perniciem nimis sero, virtute intestinis infensa, summe drastica distinguenda; radix Ari maculati, colore e cinereo fusco partis externae, interna impure albida, indole ceterum fibrosa et forma geniculata differt; quin imo ars fraudulenta Ipecacuanham aggreditur, cuius pulveri, in Anglia radicem Inulae Helenii et Tartarum emeticum in pulverem mixtos substituunt, Parisiis aut ipsum Boleti pini Laricis pulverem vendunt, quorum haud ignarus, Pharmacopola Ipecacuanhae radicem aut contusum, aut pulverisatum sibi comparare caveat.

#### Qualitates chemicae

Secundum analyses chemicas antiquiorēs, partes Ipecacuanham constituentes principales sunt extractum gummosum, et resinosum, ma-

teria adstringens et subamara, principium quoddam volatile acre, vomitum excitans. Pars resinosa alcoholis ope resoluta coloris erat fusci, splendida, solida, sicca, odoris haud ingratia, principium vero gummosum aqua solubile, perlucidum, coloris rubri, substantiae internae lignae inhaerens, parte contra resinosa, corticem pro sede sua agnoscente. Praecipua autem radicis virtus alcoloidi, sic dicto Emetino inest, de quo infra fusius tractaturi, quae materia non solum Ipecacuanhae insignem praebet efficaciam, verum etiam ex plantis indigenis, ut ex radice Violae odoratae, acido malico nupta et vi narcotica donata elicetur, Violina ab aliis appellata.

Analysis chemica a Buchholz instituta, sequentem nobis offert partium, radicem Ipecac. fuscum vel annulatum constituentium relationem. Invenit scilicet in 100 partibus:

Principii extractivi . . . . .	19,70
Substantiae gummosae . . . . .	25,45
Materiae amyli . . . . .	4,20
Gummi . . . . .	25,17
Amyli . . . . .	9,00
Resinae mollis . . . . .	2,43
Sacchari . . . . .	2,00
Cerae . . . . .	0,75
Substantiae fibrosae . . . . .	10,80
Jactura . . . . .	0,77

Secundum analysin chemicam quam Vauquelin instituit, inveniuntur in 100 partibus rad. Ipecac.:

Materiae emetinae . . . . .	1,15
extractivae . . . . .	2,45
gummosae . . . . .	5,—
Amyli . . . . .	20,—
Materiae lignosae . . . . .	66,—
Jactura . . . . .	4,80
Pelletier et Magendie in 100 paribus substanciæ corticalis rad. Ip. fuscae invenerunt.	
Emetinae . . . . .	16
Cerae . . . . .	6
Olei pinguis . . . . .	2
Gummi . . . . .	10
Amyli . . . . .	42
Fibrae . . . . .	20
Acidi gallarum et materiae perditæ . . . . .	4
cum contra et totidem partibus ligni interioris tantum 1, 15 Emetinae elicuissent.	

## II. Pars therapeutica.

### Relationes pharmacodynamicae generales.

Ipecacuanha ventriculo commissa, singulari stimulo membranam illius internam, simulque vasa nervosque ibi reconditos aggreditur. Quem hi experiuntur effectus, a tunica mucosa membranae musculari communicatus, hujus vim contractivam sollicitat. Consensualis hujus organi cum ceteris vitae plasticae organis nexus, hancce irritationem per sistema gangliosum ad sensorium commune, ad vasa sanguifera, præ-primis capillaria, ad cutem externam, brevi per omnem organismum diffundit.